

libet non tam ens sit, quàm entis, quia illius esse est inesse, ut separatum ab omni subjecto existere non possit, jam ante Cartesium alios tum Philosophos subtiles, tum Theologos orthodoxos esse tuitos. Itaque plura addere superfedeo.

EXERCITATIO XLV.

Quas ob causas realitas strictè dicta accidentibus abrogetur.

1. **R**ationes cur meritò inter rem strictè dictam, id est substantiam, & accidens tanquam modum rei, distinguantur, è præcedentibus minimè sunt obscuræ, interim operæ pretium erit eas hoc loco colligere.

2. Faciendum discrimen est inter eum, qui novam *rem* acquirit, ut uxorem, agrum, equum, librum &c. & qui novum *modum*, ut majorem cognitionem, promptitudinem in agendo sive habitum, sanitatem &c.

3. Ut vitentur ambiguitates, rectè vocamus ens seu rem in latissima acceptione Intelligibile seu *Cogitabile*, ens autem minùs latè sumtum, *Aliquid*, denique ens strictè sumtum, quod tanquam subjectum prima-

ma-